Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26043
Copyright: Admont, Benediktinerstift

uiros suos mulieres non facile de adulterio accusant. et non habent latentia peccata uin
dictam. uiri autem libere uxores adulteras apud sacerdotes deferre consueuerunt et ideo mulieribus
pro detecto earum crimine communio denegatur. uirorum autem latente commisso non facile quisquam ex
suspitionibus abstinetur. Qui utique submouebitur si eius flagitium detegatur. Cum enim par
causa sit. interdum probatione cessante uindicte ratio conquiescit. IDEM FELICI EPO
NUCERIANO. Non repellendos omnes laicos a clericatu.

De laicis uero religio tua consuluit quos canones ordinari prohibent. Certum est quidem de hoc xxv.
ecclesiasticas regulas teneri. sed non ita definitum est ut omnibus sit laicis constitutum. Neque enim
clerici nasci et non fieri possunt. Sed designata sunt genera de quibus ad clericatum peruenire
non possunt. Id est si quis fidelis militauerit. si quis fidelis causas egerit. hoc est postula
uerit. si quis fidelis administrauerit. De curialibus autem manifesta ratio est quia et si in
ueniantur huiusmodi uiri qui debeant clerici fieri. tamen quoniam sepius ad curiam repetuntur.
cauendum de his est propter tribulationem que sepe de his ecclesie peruenit. Laici uero qui habentes
uxores baptizati sunt. ac si se instituerint ut opinio eorum in nullo uacillet. uel aut clericis
iuncti sunt. aut monasteriis ex quo baptizati sunt heserunt. si non concubinam. non pelicem no
runt. si in omnibus operibus uigilauerunt. non prohibentur huiusmodi ad clericatus sortem assumi.
ita sane ut in eis tempora a maioribus constituta seruentur. ne cito quilibet lector. cito ac
colitus. cito diaconus. cito sacerdos fiat. ITEM MAXIMO ET SEUERO EPISCOPIS. CAP. XI.

Qui uel zelo fidei ac discipline De presbiteris filios generantibus. xxvi.
ducitur non patitur ecclesiam pollui ab indignis presbiteris quos in presbiterio filios asserunt procre
asse. Quod non liceret exponere. non quia nosse uestram prudentiam legis tocius habere noticiam. Et
ideo fratres karissimi. libelli qui subiectus est tenore perspecto eos qui talia perpetrasse dicuntur iubebitis
debitis in medio collocari. discussisque obiectionibus que ipsis presbiteris impinguntur. si con
uinci potuerint a sacerdotali remoueantur officio. Quia qui sancti non sunt sancta tractare non
possunt. atque alieni efficiantur a ministerio quod uiuendo illicite polluerunt. Alioquin
aut hoc eorum dissimulare episcopos. ut aut cohibere aut nescire esse illicita iudicentur.
ITEM RUFO ET EUSEBIO ET CETERIS OMNIBUS EPISCOPIS. CUR RECEPTI SINT BONO xxvii.
SIANI ET CATHARI ET NOVATIANI.

Sacerdotum summa deliberatio hec fuit. ut quos bonosius ordinauerat ne cum eodem rema
nerent. ac fieret non mediocre scandalum. ordinati reciperentur. Uicimus ut opinor ambigua.
Itaque quod pro remedio ac necessitate temporis statutum est constat primitus non fuisse. ac fuisse re
gulas ueteres. quas ab apostolis aut apostolicis uiris traditas ecclesia romana custodit. custodien
dasque mandat his qui eam audire consueuerunt. Sed necessitas temporis id fieri magnopere
postulabat. Ergo quod necessitas pro remedio repperit. cessante necessitate debet utique
cessare pariter quod urgebat. quia alius est ordo legitimus. alia usurpatio quam ad presens fie
ri tempus impellit. Sed canonem apud niceam constitutum de nouatianis fieri premiserunt.
Prius ille canon a patribus institutus ponendus. ut possimus aduertere quid uel qualiter ab eisdem
sensum sit uel preceptum. De his inquit qui nominant se ipsos catharos id est mundos. et ali
quando ueniunt ad catholicam ecclesiam. placuit sancte et magne sinodo ut accepta
manus impositione sic maneant in clero. Possumus uero dicere de solis hoc nouatianis esse
preceptum. nec ad aliarum heresiarum clericos pertinere. Nam si utique de omnibus ita definis
sent. addidissent a nouatianis aliisque hereticis reuertentes debere in suum ordinem
recipi. Quod ita non esse etiam illud maxime quod de paulianistis dictum est poterit con